





1684.

1. Ferckius, Sebastianus: De cursu publico ejusque jure

2. Smit, Henricus: De clavigatione

1685

3. Stalley, Thomas: De mora

1685

2. Wolff, Johannes Frider: De forensibus et jure statutis,

7 in rem relatis

1686.

1. Barthius, Gottfriedus: De beneficiis obtinentibus

hereditate paterna et effectum retinentibus dote

acceptam

2. Buntz, Johannes: De absente pro mortuo decessante

ejusque acquirenda hereditate

3. Stegerus, Adriaenus: De epistola divi Adriaeni

1687.

1. Linsnerus, Gottfriedus: De cautione de usu offe.

2 in 2. 2 in 2

1689.

Battierus, Joh. Jacobus: De supplicis et eorum jure

1690.

Battierus, Samuel: De generatione hominis

1691.

1. Liepoltz, Joh. Nicolaus: De meritis illicitis. 1 Exmpl.

2. Reberus, Joh. Henricus: De causis in quibus ex active

fit res et vice versa

1692.

Styckius, Jan. Samuel: De bona fide ad proscriptas

rem actionum necessaria

1693.

Voit a Berg, Leonardus Fridericus: De condemnatione

absentium

1695

1^a Ferdinus, Joh. Jacobus: De factis officialium

quatenus Dominus Senatus. 1 Exmpl

2. Gaeter, Johann : De concessione veniaru[m] aetatis.
1699.

Tellerus, Reynmundus : An mercatura uolub[il]itatis
absque

1701 -

Braun, Johann Neuman : De alienatione fundi
collectibilis

1704.

Gysi, Jacobus : De h[er]editate

u

Guat.

lve

ptu

ar

7





~~1778~~
DISPUTATIO INAUGURALIS

De

CLARIGATIONE

Quam

DEO DUCE AC PRÆSIDE

Ex Decreto ac Autoritate

MAGNIFICI AMPLISSIMI AC
CONSULTISSIMI FACTORUM
ORDINIS

IN ILLUSTRIS AC PERANTIQUA
RAURACORUM ACADEMIA

Pro

SUMMIS IN UTROQUE JURE
HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE AC
SOLENNITER CONSEQUENDIS

Solenni Eruditorum Examinei subicit

HENRICUS SMIT
Bremâ-Saxo.

Ad diem

Junii Anno M. DC. LXXXIV.

Horis locoque solitis.



BASILEÆ, LITERIS BERTSCHIANIS.

26

26 2

1684, 2



VIRIS
MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS,
AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS,
SPECTATISSIMIS AC PRUDENTISSIMIS

DOMINIS

Dn. CONSULIBVS,
Dn. SYNDICIS,
Dn. SENATORIBVS,

Liberæ Imperialis Reipublicæ

BREMENSIS

PATRIÆ PATRIBVS
GRAVISSIMIS VIGILANTISSIMIS
DOMINIS PATRONIS AC
FACTORIBVS

Debito cultu ac Obsequio prosequendis

Hanc suam Inauguralem Disputationem
submitte inscribit & offert

AUTHOR,



AUSPICE CHRISTO.

THESIS I.

Recipuum inter Romanorum instituta fuit, ut pia justaque bella gererent; inde jus feciale apud eos constitutum fuit, quo justitia bellorum regebatur, tantaque fecialium autoritas erat, ut iis vel prohibentibus, vel non probantibus, neque Consuli, neque Senatui, neque populo arma in hostem sumere licuerit. Fenest. *de Sacerd. Rom.* c. 9. Per hos feciales bella denunciari hostibus & res repeti solebant, erantque quatuor, qui verbenâ coronati, & ad fines hostium profecti, clarâ voce res repetebant, & Deos foederum ultores testes faciebant: quæ publicè & clarâ voce facta contestatio veteribus dicta fuit CLARIGATIO, quia altâ & clarâ voce per feciales fieri solebat. Alex. ab Alex. *Gen. dier.* lib. 5. cap. 3.

THESIS II.

Communiter quidem Clarigationem pro ipso jure prehensionis seu repressaliarum accipere solent, & quidem ex autoritate Varronis. Bodin. *de Rep.* l. 1. c. 10. Turnebus *advers.* 21. c. 1. Alciat. *in l. 2. n. 46. ff. de V. O.* & *in l. 190. ff. de Verb. Sign.* Covarr. *in c. peccatum de Reg. Jur.* in 6. p. 2. §. 9. n. 4. Gail. *de pign. Obs.* 2. *in fin.* Hotom. *in comment. jur. voce Clarigatio.* & alii apud Wissen. *Disp. de repress. thesi 2.* cujus sententiæ auctorem esse Hermolaum Barbarum ait Co-

var. d. l. & eò allegant Livium l. 8. c. 14. Sed inde con-
trarium magis ostenditur, illius enim verba ita se ha-
bent: *In Veliternos, veteres cives Romanos, quòd toties
rebellassent, graviter sevitum: & muri dejecti, & Sena-
tus inde abductus: jussiq; trans Tiberim habitare: ut ejus,
qui cis Tiberim deprehensus esset, usque ad mille pondo
clarigatio esset: nec, priusquam are persoluto, is qui cepis-
set extra vincula captum haberet.* Ubi Clarigatio &
prehensio manifestè opponuntur, & per illam petitio
seu actio quasi ad pœnam 1000. pondo intelligitur.
Quod clarissimè quoque Plinius lib. 22. Hist. c. 2. in fin.
exposuit. *Semper, inquit, Legati, cùm ad hostes, cla-
rigatumq; mitterentur, id est, res raptas clarè repetitum,
unus verbenarius vocabatur:* ubi vocis descriptio ma-
nifesta est, ut de hac vera ejus significatione non sit
ambigendum. Grot. de J. B. & P. lib. 3. c. 3. §. 7. Arum.
de jur. publ. Disc. 29. Concl. 4. in fin. Bacchov. de pign. lib.
2. cap. 12. n. 5. Heig. part. I. Quest. 12. n. 10. & seqq. Rein-
king de R. S. & E. lib. 2. Clas. 3. c. 4. n. 16.

III.

Est igitur Clarigatio solennis & publica illa per fe-
cialem clarâ voce facta rerum, aut cujusque juris repe-
titio. Per repetitionem autem jure feciali intellectam
fuisse omnem persecutionem ejus, quod ex quacunque
causa debetur, ex Servio notat Grotius d. c. 3. §. 7. nam &
clarigatio est, quando debitum vel satisfactio pro inju-
ria petita fuit, quod repetitio prædicta non est, quâ, quod
ante ablatum fuit, exigitur. Unde in formulis alia quo-
que verba adhibentur, sc. *dari, reddi, satisfieri, dedi,* &
similia pro re natâ. Modi & ritus apud Romanos usi-
tati videantur apud Alex. ab Alex. Gen. Dier. c. 3. Formu-
læ verò apud Gell. noct. Att. l. 16. c. 4. Grot. d. c. 3. §. 7. Hodie
controversiæ inter Principes solent prius amicabiliter
per literas tractari: Ipsa autem Clarigatio, uti & de-
nunciat

munciatio fit dupliciter, vel per facialem German. *cim*
Heerold / vel per literas clarigationis, quæ Manifesta
dicuntur, seu diffidationis, *Absag brieffe* / quibus vel
res repetuntur, aut bellum ipsum denunciatur.

IV.

Differt autem Clarigatio à denunciatione seu inti-
matione belli: quia primùm faciales clarigatum seu res
repetitum ibant; quæ si intra certum tempus non daren-
tur, tum demum sequebatur belli indictio, quæ per Pa-
trem patratum fiebat, quanquam & is actus clariga-
tio apud Alex. ab Alex. *d. c. 3.* dicatur.

V.

Valdè verò disputatur, an belli denunciatio ne-
cessaria sit? Et quanquam plures in eo consentiant, quòd
omninò sit necessaria saltem de jure gentium, non ta-
men de ratione conveniunt. Nos statuimus neque
Clarigationem præcisè, neque belli intimationem, at al-
terutrum tamen necessarium esse, & sufficere, ut vel re-
petitis rebus, vel præviâ saltem denunciatione bellum
geratur, utroque autem omisso, bellum nullo jure in-
choari inferrique posse: idque his rationibus ostendi-
mus. I Naturâ ad bellum jure alicui inferendum ni-
hil requiritur, quàm, ut jus ei, qui bellum gerere po-
test, denegatum sit. Illa enim naturæ lex est, ut unus-
quisque, cui jus suum denegatum, illud directè vindi-
care possit, neque necesse sit denunciare alteri, quòd
vindicare velit. Denegare autem ille videtur, qui re-
petenti non restituit, & neque denegatum videri po-
test ei, qui non exegit, nec solvendæ rei mora est, ubi
petita illa non est, *l. 88 ff. de Reg. jur. l. 127. ff. de verb. O.*
l. 40. ff. de reb. cred. l. 21 ff. de usur. II. Confirmatur
id exemplo actionum privatarum, quas quilibet insti-
tuere potest, dummodò reus ultrò satisfacere nolit, nec
requiritur, ut antè actor reo denunciaret, quòd velit age-

A 3 re.

re. Quod ergo unusquisque privatus potest, jus suum scilicet sine prævia denunciacione persequi, cur minùs summæ potestati liceret, quæ eâdem ratione jus suum armis persequitur, quâ privatus judicio: utrobique de jure causæ disceptatur cujus decisio in judiciis à sententia, in bellis à victoria dependet. III. Et quænam hîc necessitas? Quando enim res ab hoste repetitæ sunt, illisq; eas denegavit, metuendum ipsi sanè bellum est, nec aliud colligere potest, quàm eum, qui res clarigavit, nec recepit, aliâ, quâ potest, ratione eas repetiturum, ut proinde ipsius jam sit sibi in hujusmodi eventum cavere, sibiq; nî maturè id fecerit, & aliam denunciacionem exspectaverit, imputare. IV. Tantumq; abest, ut hujusmodi denunciatio naturaliter necessaria sit, ut potiùs iniquum & durum videatur, Principem, qui injuriam ab hoste passus est, illamq; vindicare potest, adigere, ut ultra factam clarigationem ipsum adhuc præmoneat de adventu suo, eoq; sibi victoriam difficiliorem reddat. V. Quinimò ipsi clarigationi jam inesse quædam diffidatio & comminatio belli tacitè videtur; quia, qui per facialem solenniter res suas reposcit, simul vim comminari videtur & executionem, nisi restituat: ut eò minùs alia denunciacione opus sit. Nec VI. ratio ulla hujus necessitatis reddi potest, eam enim, quæ solet reddi, ne sc. clam vel dolo bellum agatur, refutat Grot. *d. c. 3. §. II.* quam verò ille substituit, sc. ut publico consensu geri constet, non magis probari potest, quia publico an privato consilio bellum geratur, ad hostes non pertinet, sed ad belligerantem rempublicam, uti latè differitur apud Livium, *l. 21. c. 18.* ubi, cum Annibal Saguntum sine mandato oppugnassèt idq; quererentur Romani, ita ait Carthaginensis Senator Romanis: *Ego non, privato publicone consilio Saguntum oppugnatum sit, querendum censeo; sed utrum*
jure

*jure an injuria. Nostra enim hac quaestio atque animadversio in civem nostrum est; nostro, an suo fecerit arbitrio. Vobiscum una disceptatio est; licueritné per fœdus fieri. Quod cum ipse Grotius quoque statuat lib. 1. de J. B. & P. c. 3. S. 5. non video quomodo contrarium pro ratione suæ sententiæ in d. S. II. allegare possit; si enim ex eo, quòd privato arbitrio aliquis bellum movet, non hostibus, sed ipsius magistratui injuria fiat, non potest ideò denunciatio necessaria videri, ut hostes sciant publico consensu fieri, quia ad eos illud non pertinet, sed & aliàs ratio illa invalida videtur, cum bella non possint adeò clam fieri, quin ad notitiam rei publicæ perveniant, cujus civis bellum gerit & hostem facit. Et quis credat, Principem vel rempublicam nescire suo nomine à suis publica bella geri; si autem scit & patitur, hoc ipso consensus publicus apparet, ut ideo non opus sit denunciatione. Denique posito fieri injustitiam hosti, si privatim bellum moveatur, cessat sanè illa, si verè illud publicum sit, etsi hostis putet esse privatum; neq; opinio hostis, vel quòd nesciat esse publicè bellum decretum, mutat justitiam belli, si revera publicè decretum fuerit. Nulla ergò inde necessitas denunciandi inferri potest. VII. Atque ita apud Romanos obtinuisse ac alterutrum jure feziali suffecisse, licèt communiter post repetitionem denunciatio quoque solita fuerit, testatur Cicero de Of. l. 1. *Ac belli quidem equitas sanctissimè feziali P. R. jure perscripta est: ex quo intelligi datur, nullum bellum esse justum, nisi aut rebus repetitis geratur, aut denunciatum antè sit & indictum.* En testem jure feziali alterum suffecisse, ut vel res repetitæ fuerint, vel denunciatio facta. VIII. Postremò id manifestum fit ex definitionibus juris civilis, quo hostes censentur, quibus publicè bellum decretum est, ut dicitur in l. Hostes. 118. ff. de*

de verb. sign. l. 24. ff. de Capt. & Post. Ut ergo hostes adeo-
que justum bellum sit, requiritur saltem, ut inter ci-
ves publicè decretum, non etiam, ut hostibus denun-
ciatum sit; decernitur enim inter cives qui belli jus ha-
bent, uti apud Romanos, non verò cum hoste, sed eo
quoque invito decernitur. Omnino ergò statuimus de-
nunciationem in bello non esse necessariam, sed suffi-
cere clarigationem.

VI.

Illi qui contrarium sc: indictionem belli adeò
necessariam statuunt, ut ante eam neque insidiis, neque
aperto Marti locum esse putent, vix quicquam ratio-
nis aut soliditatis afferre pro sententia sua possunt, præ-
ter exempla & authoritates, quæ autem nihil efficiunt.
Et potest pro iis allegari 1. authoritas Ennii, qui pro-
mulgata prælia dixit. 2. Romanorum, de quorum
moribus & ritibus jam dictum, aliarumque gentium,
quæ bella denunciare solent. 3. Ipsorum Turcarum,
de quorum Imperatore dicitur *im Reichs Abscheid*
de Anno 1566. S. Auf unser weiter 34. Daß er albereit
für guter weile zu solcher Rüstung seine Anstellung ge-
than/ seine Ampt- und Befehls-leute auffmahnen/auch
solchen fürgenommenen Haupt-Krieg nach seinem
brauch öffentlich publiciren und außruffen lassen. 4.
Josephi, qui *lib. 15. Antiq. cap. 8.* injustitiam vocat bel-
lum non indictum. 5. Ferdinandi II. Imperatoris, qui
Gustavo Adolpho Suecorum Regi in literis ad eum da-
tis præcipuè objicit, quòd bello non indicto Germa-
niam invaserit. 6. Morum hodiernorum, quibus pes-
simè audit *ein unabgesagter Einfall* & quibus in-
dictio belli juris gentium esse censetur.

VII.

Verùm pro horum solutione duo opponimus &
quidem 1. Non negamus sæpius bella denunciari so-
lita,

lita, sed negamus id necessarium visum fuisse, putarunt
gentes & meritò ad generositatem animi & fortitudi-
nis gloriam id pertinere, non verò ad necessitatem ju-
ris. 2. Dicimus his autoritatibus non semper denun-
ciationes, sed decreta belli publica, vel etiam clariga-
tiones & rerum repetitiones comprehendì. Itaque
Ennius promulgata praelia dixit, quòd apud Romanos
id fieri consueverit, non quòd necessum sit, nam &
ipso jure feziali Romanorum id non requiri, modò vi-
dimus. Neque promulgata Ennii neque publicata &
proclamata Turcarum praelia necessariò significant
denunciata hosti, sed divulgata in subditos, quòd in di-
cto Recessu Imperii manifestum est; non enim Turca
publicaverat & proclamaverat bellum in Germania,
sed in Turcia sua, & interris Ottomannicis. Ita & a-
pud Josephum non modò nulla denunciatio belli, sed
nec ulla clarigatio præcesserat, & Athenio Dux Ro-
manus Judæos, dum hostes suos fundebant & vince-
bant, labore fessos ex improvìso, cùm hostem eum i-
gnorarent, obruerat; quòd rectè injustitia Josepho di-
citur. Ad literas Ferdinandi II. respondit Rex Suecorum,
conquestum se esse de injuriis & petiisse satisfactionem;
quæ clarigatio quædam est, in qua ille belli sui justitiam
fundat. Atque ita vocibus illis, *ein unabgesagter Ein-
fall*/invasio illa intelligi solet, quæ nec repetitis rebus
nec prævia denunciacione facta est, & mores illi, ut di-
ctum, ad commendationem potiùs bellicæ fortitudinis,
quàm ad necessitatem juris spectant, neque bella jure
gentium positivo seu secundario, quo summæ potesta-
tes non obligantur, sed jure naturali seu gentium, ut di-
ci solet, primariò reguntur, quo necessitas denunciandi
ostendi nequit.

VIII.

Quæri autem adhuc potest, an bello denunciato
B sola

sola, sine clarigatione seu rerum repetitione, sufficiat? Quod nos affirmamus; quia sub illa denunciatione omninò continetur quædam repetitio rerum; nam qui bellum denunciat pro rebus ablatis, hoc ipso eas repetere instituit, redditasque sibi eas velle se declarat: Et uti bellum gerere pro rebus, v. gr. raptis, nihil aliud est, quàm vi armata illas repetere; ita qui illud denunciat, repetitionem rerum denunciat.

IX.

Dicemus porrò de iis, quibus & contra quos clarigandi jus est. Competere illud, quibus jus est belli gerendi, certum est, nec dubitandum, quin, qui armis publicè jus suum recuperare ac vindicare possunt, verbis quoque idem repetere queant. Aliis autem id non competere inde patet, tum quia publica repetitio est, & juris reip. competentis, cujus proinde tota potestas penes Principem vel alios summos Magistratus residet: tum quia per facialem juxta *thes.* 3. seu ministrum publicum fit, cujus mittendi nemo, nisi summa quædam potestas, jus habet: tum quia clarigatio comparatur denunciationi belli, ejusque vim quandam habet, ut *thes.* 5. ostendimus, quæ denunciatio belli nemini sine dubio, nisi cui & bellum gerere, competit: tum denique quia finis effectusque clarigationis est licentia bello clarigatum adoriendi, & vi res repetendi, ut dein dicemus: unde belli jus in clarigatione omninò supponitur. Hinc patet, si privatus à privato res suas reperit, id nihil minùs quàm clarigationem dici posse, sed simpliciter esse interpellationem, quâ reus in morâ salutem constituitur.

X.

Sic & contra eos clarigationem fieri, qui rempublicam, nec alium judicem habent, non dubitatur. De aliis autem ambigua quæstio videri posset: nec quicquam

quam obstare, quin à prædonibus, desertoribus, subdi-
tis rebellibus res repeti per fecialem quoque & publi-
co nomine possint, cum omnia hæc repetitio sc. nomine
publico & missio fecialis ex jure potius mittentium æ-
stimentur. Nec desunt in historiis exempla, quibus ad
hujusmodi rebelles & prædones res repetitum missum
fuit, crebroque necessitas ac metus nimie prædonum
potentiae id ipsis quoque Romanis extorsit, ut non mo-
dò ablegationes tales factæ, sed & hostium propè loco
habiti fuerint, ut exemplum Tacfarinatis apud Tacitum
lib. 2. Annal. cap. 52. ostendit. Verùm, cum, ut thesi
præcedenti dictum est, clarigatio æquipolleet denun-
ciationi belli, ejusque finis sit, ut bello agere liceat, quod
cum ejusmodi prædonibus & desertoribus non est, neq;
veri feciales magis, quàm veri legati, ad eos mittuntur,
quin ne quidem jus publicum, quod ipsi non habent, ut
tale repeti possit, non erit id publica & verè dicta cla-
rigatio, sed simplex potius rerum repetitio, qualis à
privato etiam fieri posset, uti enim bellum, legatio &
cœtera jura, ita & clarigatio cum hujusmodi prædoni-
bus & similibus non nisi improprie censeripotest. Cu-
jus effectus in eo à vera differt, quòd quicquid à præ-
donibus istis post repetitionem factam, missos nunci-
os & denunciations vi fit, nihilominus injustè factum
videatur. Atque ita Romani Campanis & Fidenaribus
desertoribus, bellum non denunciandum putarunt,
nec clarigationem fecerunt, Alb. Gentil. *de jur. bel. l. 2.*
c. 2. Et Seneca dixit, *bella indici finitimis, at geri cum sub-*
ditis, lib. 3. de ira c. 2.

XI.

Quæritur autem, an Clarigatio vel diffidatio Prin-
cipi solùm fieri debeat, an etiam subditis conveniat?
Quod negamus; ob rationes quas *thesib. præced. 9. & 10.*
produximus; quia clarigandi justantùm est inter sum-

mas potestates : & planè frustra subditi clarigantur, seu res ab iis repetuntur, qui eas restituere non possunt; & restitutio illa in solius Principis, non in subditorum potestate est, adeoque ab his quoque peti, seu eo nomine iis bellum indici nequit. Quin ineptè subditis denunciaretur bellum, qui diffidato principe non possunt non ad bellum sequi, & jure sequelæ ad id tenentur: quo sensu intelligendum est, quod vulgò dicitur: Diffidato Principe diffidatos quoque ejus subditos.

XII.

Porro quæritur: An idem in Sociis qui bello assistunt dicendum, ut nec illi seorsim clarigandi, seu diffidandi sint? Ad quod respondemus; si socii seorsim bellum non gerunt, sed auxilia tantùm mittunt, non opus esse aliâ clarigatione, quia 1. illa auxilia sunt mera accessio hostis clarigati. 2. milites illi auxiliares privati sunt, cum quibus jus clarigandi aut bella indici non est. 3. in unoquoque bello una clarigatio sufficit, hæc autem auxilia proprium & separatum bellum non gerunt, sed unum tantùm bellum est, cui manus illa auxiliaris adsistit, adeoque & una saltem clarigatio est.

XIII.

Sed si propter hæc auxilia ipsis sociis bellum indicitur, id proprium & separatum bellum est, quod non à sociis, sed ab eo contra quem auxilia missa sunt ex nova & hac ipsa causa inchoatur, quòd contra se auxilia hosti facta. Ex hac itaque causa, si quis bellum contra auxiliares gerere velit, id repetitis rebus vel denunciatione facta, ceu novum bellum, geri deber; per tradita *thesi* 5. Atque ita rectè improbatur, quòd Cæsar in Ariovistum, Manlius in Gallo-Græcos, Ulyssis socii in Ciconas, ex causa missi hostibus auxilii sine clarigatione bellum moverunt, Grot. *d. c.* 3, §. 10.

XIV.

XIV.

Denique, si plures sint, qui communiter nobis injuriam faciunt vel intentant, & singuli jus belli habeant, singuli seorsim quoque clarigandi sunt, quia proprium cujusque bellum est, & quisque propria auctoritate bella & gerit & suscipit: quodlibet ergò bellum à clarigatione vel indictione inchoandum est, & nemo eorum, qui summam potestatem habet, nisi repetitis rebus, aut indictione factâ, bello conveniendus. Unde in bello Antiochi optimè rogatio ad populum ita facta est: *Vellent juberent cum Antiocho rege, quique sectans ejus secuti essent, bellum iniri?* Liv. d. l. 36. c. 1.

XV.

Sequitur, per quos clarigatio fiat; & ex descriptione patet fieri per fecialem, qui à faciendo dicitur, auctore Festo, quia belli pacisq; faciendæ jus penès feciales erat. Germanis **Heerold**/ quasi exercitûs seu belli minister: quanquam alii à voce **hold**/quòd gratus sit exercitui, derivare studeant, & alii dictum velint quasi **Ehrenhold**. Sed nos insistimus dictæ antea derivationi, quæ voci congruit: vox enim **Heer** notoriè exercitum, **alda** verò priscâ linguâ ministrum denotat, uti deducit Draco *tr. de Patriis c. 4. fol. 47.* De eorum hodiernis insignibus habitu & officio vid. *Besold, in th. Pr. voc. Heerold.*

XVI.

Est igitur fecialis minister publicus, & jure legatorum & gentium non tantùm utitur, sed & ipsis quoque sanctior habetur: cùm ab eo dependeat omne jus foederum, nec non pacis belliq; quod omnium sanctissimum est, & feciali jure comprehenditur: hinc tot ritus religionesq; in eorum ablegationibus ac negotiis observatæ, ultra quàm in ullo legatorum genere sancitum fuerat. Eadem ergò inviolabilitatis, ut ita dicam, jure gaudent, quo legati & insuper, cùm legati

B 3

ab



ab accessu prohiberi possent & non admitti, nefas tamen fuit facialem repudiare & injuncto sibi muneri exequendo non admittere.

XVII.

In quibus bellis verò clarigatio fiat, ut paucis expediamus, quin in bello offensivo communiter locum habeat, non ambigitur. In bello autem defensivo, quo quis ab alterius invasione se defendit, locum ei esse non posse, inde apparet, quia repetitio rerum actoris & invasoris est, non ejus, qui convenitur. Is enim, qui bellum movet, jus præterdit ac petit, ac instar actoris est, cujus solius est rem repetere seu clarigare; is autem qui invaditur rei vices agit, nihilque petit, sed contra alterius petitionem se defendit: ejus ergò nulla clarigatio est.

XVIII.

Ita nec denunciatio belli ab ejus parte esse potest, qui bello petitur: ridiculum enim est, bellum denunciare gerendum, quod jam geritur, & futurum significare, quod per alterius invasionem seu indictionem jam coeptum est. Ridiculum, inquam, si quis alteri significaret se bellum gesturum, quod alter jam intentat, & evitari amplius non potest; & cum invasor jam feriat, ipsi prius denunciare, quòd defendere se velit. In invasoris seu actoris arbitrio quidem est, statuere, an bellum gerere velit, adeoque si id decreverit, hosti denunciare; at invasus reus invitus quoque bellum excipere cogitur, proindeque frustra præmonet, quòd excipere velit. Quod Gustavus Adolphus Suecorum Rex in responsoriis suis allegabat. *Non exigere jus gentium, ut, cui injuria vel vis illata est, antequam illam propulset, faciales mittat, cum natura & res ipsa unicuique arma ad salutem in hujusmodi casu expediendam concedat.* vid. Arm. Suec. Idem collegium facialium in bello Antiochi decrevit, cum ex SCto ad eos referret. Consul,

ful, An Ætolis, qui Antiochi partes suscepissent, sepatim iudici bellum juberent? Ad quod responderunt faciales: *Ætolos ultrò sibi bellum indixisse, cum Demetriadem sociorum urbem per vim occupassent; Chalcidem terra mariq; occupatum essent; regem Antiochum in Europam ad bellum P. R. inferendum traduxissent: id est, cum ipsi bellum inchoassent, adeoque Romani bellum ab Ætolis illatum duntaxat depellerent; indeque indicare bellum necessum non haberent, Liv. l. 36. c. 3. quæ aperta ejus loci sententia est; ut à vero recesserit Grotius l. 3. d. J. B. & P. c. 3. §. 12. Cum recedit ab Ayala l. 1. c. 5. qui clarigationem à parte ejus, qui vim illatam propulsat, inutilem censet. Frustra ergò fuit, quòd Hispani haud pridem, cum oppugnarentur, publicam belli denunciationem emisissent.*

XIX.

Nec clarigationem requiri censemus in bello, cujus gerendi necessitas quædam vel certitudo est, vel quòd certum sit aliàs ab hoste satisfactionem impetratum non iri, vel quòd interea evanesceret omnis juris recuperandi occasio, vel ob barbariem, sævitiam aut iniquitatem hostis haud tutum sit facialem mittere, vel aliàs clarigatio fieri nequeat; uti si semel jam jus legatorum violatum fuerit. Grotius quidem d. c. 3. §. ult. per literas eam fieri posse putat. Verùm non quærimus quid possit, sed quid necesse sit fieri: nec rationi conveniens putamus, nos hosti ad clarigationem teneri, qui ad eam ritè & more majorum faciendam locum tutum præstare aut legatos admittere recusat. Et hæc apud Dionem Cæsaris sententia fuit, qui aiebat, *quædam esse bella, in quibus querela & indictiones præcedere possint; sed alia exoriri, quæ tanquam jusserit necessitas, non possint in disceptationem adduci. Alb. Gent. de Jur. B. l. 2. c. 2.* Idemque statuendum videtur, si ipse hostis quoque

quoque non solitus fuerit clarigationem vel indictio-
nem præmittere, vel contra invadentem eam antea o-
miserit: cum non possit improbare id jus in se, quod in
alium statuit, *perrub. ff. Quod quisque juris.* Idque Gu-
stavus Adolphus in memoratis antè literis regerit: *se
non prospicere posse, quâ ratione denunciatio belli, qua à
parte Cesarei exercitus omissa fuerat, à se postularetur, vid.
d. Arm. Suec.*

XX.

Effectus demum clarigationis est licentia, ni res
redditæ fuerint, justo bello eas persequendi, quia exin-
de jus denegatum videtur, quod multò magis post indi-
ctionem obtinet. Ubi disceptationis haud levis est, an
statim post clarigationem vel denunciationem bellum
moveri possit, an verò aliquod tempus dandum sit?
Nullum tempus jure gentium requiri, ait Grotius *d. c. 3.
§. 13.* ex qualitate tamen negotii aliquando concedi id
debere, ut si nondum negatæ res fuerint &c. atque ita
Cyrus Armeniæ Regi simul intulit & indixit bellum:
Romani Carthaginensibus tertium bellum Punicum
momento indictum illatumque gesserunt. Grot. *d. §. 13.*
Quod Alb. Gent. improbat, *d. l. 2. c. 1.* verum distinguen-
da hîc primùm clarigatio & belli indictio. Illius, ut
diximus, effectus est, ut bello res nostræ, nisi reddantur,
repeti possint: expectandum ergò aliquod tempus, in-
tra quod apparere possit, nole hostem satisfacere. At-
que ut hoc eò certius pateret, soliti fuerunt Romani
clarigationibus suis diem addere, intra quem reddi res
debebat: si non restituerentur, adhuc expectabant 33.
dies, qui solennes ad hoc erant, iisque demum elapsis
bellum indicebant ac movebant. Alex. ab Alex. *Gen.
dier. lib. 5. c. 3.* Alb. Gent. *d. l. 2. c. 1.* Denunciati autem bel-
li effectus est, ut exinde jus lædendi, & vel per insidias
vel aperto Marte agendi detur; cum per talem denun-
ciationem

ciationem hostes constituentur, quibus invicem violandi lædendique jus est, & pax societatisque ratio dissolvatur. Post denunciationem itaque bellum illicò intentari equidem potest. Sed id tunc verum puto, quando clarigatio præcessit, tunc enim sine denunciatione quoque bellum iniri posset, uti suprà ostendimus. Si verò nulla præcessit clarigatio, negamus simul indici moverique bellum posse, cùm nondum restitutio rerum denegata sit, & tali denunciationi tacita insit repetitio, nisi restituerit, cùm alia non præcesserit repetitio; perinde ergò, ut post clarigationem, etiam post denunciationem, cui illa inest, spatium aliquod intervenire debet, quo de intentione hostis, an satisfacere nolit, apparere queat.

XXI.

Inde facilè jam decidetur quæstio, quæ in bello Philippi & Antiochi collegio fecialium proposita fuit, an clarigatio seu denunciatio fieri debeat ipsi hosti, an sufficiat ad aliquod ejus præsidium fieri? Decrevit collegium nihil interesse, ipsi hosti coràm an ad præsidium ejus nunciaretur, Liv. l. 36. c. 3. Cujus ea ratio, quòd præsidio illi mandatum quodammodò bellum sit, adeoque sufficiat, uti citationes ad domum fiunt; ita denunciations & clarigationes has ad præsidium fieri, à quo Principi illud facilè renunciari potest. Jure naturali tutius sanè videtur, imprimis clarigationes coram ipso Principe fieri.

XXII.

Denique quæstionis est, an comminationes instar clarigationis vel indictionis habeantur? Dicimus eas purè pro denunciatione belli haberi non posse; cùm nondum decernat bellum præsens, qui comminatur illud futurum, & quidem sub lege, nî satisfactum fuerit, quæ

C

omni-




omnibus hujusmodi comminationibus inest. At pro clarigatione rectè habebitur, quia, qui minatur vim, si res non reddantur, hoc ipso repetit; adeoque, ut ne simplex quidem hæc sit repetitio, sed cum minis. Idque in sæpè dictis literis Rex Suecorum pro se allegat: *Se belli denunciationem omnem non omisisse, sed clarè testatum (en clarigationem!) fuisse, nisi illata sibi injuria sarciretur, aliàs sibi rationes juris dignitatisq; sue tuenda querendas esse.* vid. d. Arm. Suec.

Et hæc sunt, quæ brevissimè de Clarigatione meditari tempus concessit. Multa super hac materia restare non nescimus. Sed omnia dicere non facit ad propositum nostrum, siquidem institutum Majorum disputatiunculam tantùm, priusquam Honorum juriumque Doctoralium participes reddamur, à nobis exposcit, non verò integrum tractatum. Hisce ergò & nos contenti brevitati studuimus, nec non prolixiorem hujus materiæ tractationem aliis relinquere consultiùs duximus. Te verò Benevole lector est quod adhuc rogatum volumus, ut sicubi forsitan festinans calamus titubaverit, pro humanitate tua liberaliter explices. Faxit supremus hujus universi Moderator & Arbitrator, ut omnia cedant ad divini nominis sui gloriam & proximi nostri emolumentum,



COROL-



COROLLARIA.

I.

Judex secundum acta & probata, non ve-
rò secundum conscientiam judicare debet.

II.

Moderamen in defendendo excedens, ex-
traordinaria, non ordinaria poena afficien-
dus est.

III.

Bonafidei possessor percipiendo fructus su-
os facit, tam naturales quam industriales.

IV.

Legitima liberorum de Jure novissimo in-
stitutionis titulo relinquenda est.

V.

Furamentum illicitas & invalidas con-
ventiones non confirmat.

VI.

Donator non tenetur de evictione, nisi
nominatim se ad eam obligarit.

Ad



Ad Nobilissimum

D N. C A N D I D A T U M.

Quid tibi cum sævo, Vir præclarissime,
Marte est,

In lituos Themidi quæ, rogo, jura super?
Non rigidi jam bella gerunt; sanctique
Catones,

Nec, sibi qui repetat rapta, Quirinus adest.
Involat innocuas hodiernus Mars piter oras,
Cumque hostis nullus territat, ipse facit.
Sufficit ad bellum ambitio, pruritus ha-
bendi

Non sua pro lege est, Baldus in ense sedet.
Huic igitur ponat metas Astra furori,
Et calcata huic fas occinat illa suum?
Imò furor tandem juri de tramite cedit,
Cogeturq; æquis legibus esse minor.

M. J. J. HOFMANNI, Hist. P.

F I N I S.



ULB Halle

3

005 129 206





~~1772~~ DISPUTATIO INAUGURALIS

De

CLARIGATIONE

Quam

DEO DUCE AC PRÆSIDE

Ex Decreto ac Autoritate

MAGNIFICI AMPLISSIMI AC
CONSULTISSIMI FACTORUM
ORDINIS

IN ILLUSTRIS AC PERANTIQUA
RAURACORUM ACADEMIA

Pro

SUMMIS IN UTROQUE JURE
HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE AC
SOLENNITER CONSEQUENDIS

Solenni Eruditorum Examine subicit

HENRICUS SMIT
Bremâ-Saxo.

Ad diem

Junii Anno M. DC. LXXXIV.

Horis locoque solitis.



BASILEÆ, LITERIS BERTSCHIANIS.

26 2

1684, 2

26

